SERVASANCTUS TUSCUS DE FAENZA
Italien (?), 3. Viertel 15. Jh. Seite 102r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



.III.

uni opponatur secundum plurimum quod principaliter et per se
est intelligendum. Tamen secundum consideraciones di-
uersas sepe unum pluribus opponatur inuenitur.
Vnde quilibet color medius opponitur aliis mediis
et eciam ambobus extremis quia uiriditas opponitur
rubedini et eciam ingredini et eciam liuidini
Non est nunc propositi de contrarietate loqui sed hoc tantum dixi
ut ex hoc non esse conueniens perpendatur. Si unum
uicium pluribus uirtutibus opponatur. Dicamus er-
go quod superbia opponatur fidei quia fides intellectum
illuminat hec excecat. fides in obsequium xpi intel-
lectum captiuat hec contra xpm eleuat. Vnde omnes
errores et que contra fidem inuenta sunt ex superbia pro-
cesserunt. Secundo ira opponitur spei quia illa
irascibilem erigit hoc subuertit illa spem in
deo ponit hec desperacionem inducit. Nam si ira
uideatur irascibilem erigere et ad vindictam in-
citare hoc non est eum erigere sed peruertere quia cum sit iras-
cibilis detestari malum ad quod per spem diuinorum eri-
gitur per iram ad eius oppositum inclinatur. Ter-
cio inuidia opponitur caritati. Quia caritas
proximum diligit inuidia eum odit caritas in malo
proximi dolet. Inuidia uero gaudet. Quarto
accidia opponitur prudencie. quia prudencie est eli-
ge bona. Tristicia eligere mala tristis enim refu-
git bona uerba bona consilia et bona opera. Vnde
tedet eum ad bona et gaudet ad mala. Sicut
enim prudens consilium sapiencioris requirit
Sic uero tristis omne bonum consilium refugit pru-
dens omnia bona laudat et approbat sed tristis
omnia bona condempnat. Quinto auaricia omnia
contra deum stringit. Sexto gula opponitur conti-
nencie siue temperancie quia superflua abicit. Gula
superflua semper querit. Septimo luxuria fortitudini
est contraria quia sicut uirtus illa facit homines fortes sic

102